Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lateinisch-deutsche Sammelhandschrift des Heinrich Otter - Cod. St. Blasien 77

Schera, Heinrich Otter de

[Italien, Konstanz], [1439-1442]

2 miracula de utilitate missae

urn:nbn:de:bsz:31-51901

Visual Library

Exemplum In missis celebrandis

Quidam namque cum quadam rupe argentum foderet Subito rupis cecidit et funditus eos extinxit. Unus autem eorum subtus in quadam sinu ipsius rupis morte evasit inde tamen exire non valuit. Uxor autem ipsius eum defunctum existimans omni die pro ipso missam celebrare faciebat et panem unum et vas vini cum candela cottidie offerebat. Cum dyabolus in uideo per tres dies continuos eidem in forma humana apparuit Et quo tenderet requisivit. Cum autem illa sui itineris causam exponeret Ille aiebat noli frustra venire quia iam missa celebrata est et sic illa tribus diebus missam intermisit nec ipsam celebrari fecit. Quidam autem postea hoc in predicta rupe argentum fodiens quandam vocem audivit desuper dicentem Plane percutias quia capiti meo imminet magnus lapis. Cum autem ille timeret et ad hanc vocem audiendam plures convocasset cum iterum foderet et similem vocem audivit. Tunc omnes propius accedentes dixerunt Quis enim es tu? Qui respondens dixit Plane faciatis quia magnus lapis qui super me cadit. Qui a latere fodientes et ad eum usque pervenientes eum sanum et incolumem extraxerunt Et sciscitantes quomodo ibi tam diu vixisset dixit quod qualibet die panis unus et vas vini cum candela accensa nisi tantum in tribus diebus oblatus sibi fuit. Et uxor eius audiens et vehementer exultans agnovit quod de oblatione sua fuit sustentatus et quod dyabolus eam decepit ne illis tribus diebus missam cantari faceret etc.

Aliud Exemplum

Gregorius scribit quod cum quidam Nauta in mari naufragium passus fuisset et quidam sacerdos pro eo hostiam ymolasset Ipse tandem de mari exivit sanus. Cum autem qualiter evasisset interrogaretur dixit quod cum in medio mari existeret et iam ipse fatigatus deficeret quidam ad eum venit et panem quendam sibi obtulit quem cum ille comedisset Statim confortatus vires recepit et a quadam navi inde transeunte receptus fuit. Inventumque est quod illa hora panem habuit qua pro eo sacerdos hostiam ymolavit etc.